

bode ; Berne-Heeswijk (photo nr. 148) se trouve en Hollande, et non en Belgique. De plus, on aurait pu attendre que le chapitre liminaire « Les Chanoines Réguliers » donne un aperçu général de tous les Ordres dont on parle dans ce livre. En fait, seuls les chanoines qui portent explicitement le nom de « Chanoines Réguliers de Saint Augustin » sont pris en considération ici. A notre avis, une prise de vue plus large aurait fait meilleure impression.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Mihalyi GILBERT, O. Praem., *Szuz Mária az Ujszovetsegeben*. Roma. Anonymus 1954, 248 pp.

Quamquam Commentarium nostrum, studiis et culturae historiae Ordinis deditum, natura sua ad objectum limitetur oportet suae competentiae, libenter recensemus opusculum a Confratre nostro exaratum, de Virgine Maria in Novo Testamento. Auctor enim, qui, curam gerens spiritualem Hungarorum in Hollandia degentium, opere isto, revera hanc meretur exceptionem.

Si ex una parte medium hodie tam urgentis renovationis spiritus Christianorum efficacissimum affirmatur a Summo Pontifice Pio XII, in encyclica « Fulgens corona », intensior cultus Marianus, qui ex profundiore profluit cognitione tam excelsi muneris, quod Deus Mariae concredidit in opere nostrae salutis, hanc promovere cognitionem, quae intensiorem generat amorem et ad fidiorem invitat imitationem illius in qua omnium post Christum perfectissimum contemplamur exemplar vitae Deo conjunctae, necessitas videtur primaria ordinis apostolatus. Traditionalis cultus ex altera parte, quo populus Hungaricus mille annorum spatio Deiparam Virginem sub titulo « Magnae Dominae Hungarorum », magna cum fiducia invocavit, et qui maiorem partem populi inter tot vicissitudines suae historiae in vera conservavit fide, eiusdem cultus cum omnibus mediis roboratio opportune creditur hodie quoque pignus validum conservationis, inter tot adversa praesentis temporis. His rationibus legitime movetur spiritus apostolicus Auctoris, in sua Mariologia applicata, doctrinam praebedi fidelibus Hungaris, integram et vivam Ecclesiae de Beata Virgine, prout ipsa Ecclesia proponit ex fontibus revelationis, Novi Testamenti imprimis.

Auctor in exponenda doctrina ordinem sequitur chronologicum eventuum vitae B. Virginis in scriptis N. T. traditorum, et in serie capitum: Annuntiatio, Visitatio, Sponsa, Mater Christi, Sacra Familia, Vita Jesu publica durante, In Calvario, In prima communitate fidelium, Mulier glorificata, — aptum invenit locum singulas proponendi veritates fidei de B. Virgine, ubique terminis redditae distinctis — etiam ex vernaculis idiomatibus apte selectis — singulas iuxta eorum momentum dogmaticum et in logico contextu ceterarum veritatum revelatarum. In hac synthesisi debita refulget luce dignitas Mariae, Matris Dei, munus vero Co-redemptricis et Mediatrix omnium Christi gratiarum, fundamentum praebet soli-



dum cultui quo B. Virgo veneranda est. Syntheticae expositioni non oppugnant particulares considerationes ordinis practici valde opportunae, quae simul sensum tradunt Auctoris profundum exigentiarum temporis inter quas fideles versantur ad quos se dirigit. Valorem augent opusculi, notitiae historicae critica disquisitione traditae de cultu B. M. V. apud Hungaros, sicut et notae bibliographicae quae Auctorem et optimum probant cognitorem quaestionum, etiam earum quas recentissime movent AA (nota doctrinae de co-redemptione B. M. V., debitum peccati, etc.), et utile reddunt servitium, iis praesertim ad quos difficulter pervenire possunt communicationes scientificae investigationum, quas novissime tradiderunt doctrinae Marianae cultores.

Modestum revera in veste externa opus — prout condiciones permiserunt inter quas actu versatur in exteris ars typis edendi Hungaricis — totum valorem ab intus trahit dictorum et ex utilitate, quam redditurum est in propagatione et corroboratione inter Hungaros cultus Mariani doctrina fundati solida et saginati.

H. MARTON, O. Praem.